

per Dominos Banos et Dominum Generalem Capitaneum animadvertantur, tanquam proditores fidei christianae puniantur.

Similiter et illi animadvertantur, qui captivos suos ad fideiussionem caeterorum concaptivorum Thurcarum ex carceribus emittere, et passim de foro in forum ex uno loco in alium permittere consueverunt. Sicuti et in Civitatibus id fieri consuevit, ut Thurcae per plateas libere diuagentur, ut tales captivi, modo superius declarato et decreto, Dominis Banis vel Domino Generali Capitaneo libere in Civitatibus Iudices Comitatum, extra Civitates vero quicumque illos deprehendere poterit, deducantur.

Stabula quoque in Civitatibus, ut Crisii, Kapronczae, Varasini, Zagrabiae aliisque locis finitimis per milites prius aedificata, et ex parte maiori per ipsos Cives demolita, iterum per eos reedificentur et per Indices Comitatum et locorum finitimum reedificare cogantur, ut milites ipsi in suis stationibus residere et persistere possint, et ut usque festum Beati Andreae Apostoli proxime affuturum reparare sub solitis remediis compellantur.

Vt autem Status et Ordines praescripti equites continuos instar regnicolarum Regni Hungariae intenterent. Cum Regnicolae praefati fideles subditi suae Sa. Caes. Maiestatis a singulis quinque fumis pixidarium peditem unum, et a viginti portis seu fumis Equitem bene armatum unum semper paratos tenere debent, et quam primum Domini Bani inservit pro defensione Regni, eo quo necessitas postulaverit, sine mora transmittere tenentur: Supplicant Status et Ordines praescripti Sa. Caes. Maiestati Domino illorum clementissimo: Quum nunquam illis in usu fuerit, ut huiusmodi continuos Equites intenterent, nunc quoque ad ea sufferenda ne compellantur. Nam et alioquin numerus huiusmodi continuorum Equitum ultra quam credi posset minimus esset.

Terminus celebrandorum Iudiciorum octavalium, iuxta Constitutionem Dietae Poseniensis proxime praeteritae, decretus est ad festum Epiphaniarum Domini, ut sine intermissione per integros triginta duos dies, exceptis festivis diebus, Zagrabiae, vel ubi Domini Bani iudicia ipsa celebranda Regnicolis publicaverint, iuxta seriem et antiquitatem causarum celebrentur. Ad quem terminum Magister Damianus, Prothonotarius Regni, per literas sub sigillo Regni emanatas vocandus est, ut tempestive veniat.

Cum autem Assessores Sedis Iudiciariae Regni huius Slavoniae certi defuncti sint et pauci superstites remansisse videntur, decretum est, ut in termino praescripto Iudiciorum Jurisperiti Nobiles ex regnicolis ad id benemeriti eligantur, qui coram Dominis Banis in sede Iudiciaria Regni solitum Juramentum praestare debebunt.

Judicia tamen breviter Comitatum Zagrabiensis et Crisiensis more alias consuevit hic Zagrabiae per Vicebanum, Viceprothonotariumque Regni, et Iudices Nobilium praescriptorum Comitatum, ac alios iuratos Assessores propter pluralitatem Causarum in quatuor terminis, singulis videlicet Angariis pro uno termino per continuos quatuor dies iudicentur, et tandem suis modis debitae quoque executioni demandentur.

Intellexerunt praeterea Status et Ordines praescripti, fideles subditi Suae Caesariae Maiestatis, indictionem et publicationem Dietae seu Convventus horum Regnorum instar Regni Hungariae sibi reservasse. Cum autem Statibus et Ordinibus Suae Sacrae Caesariae Maiestatis fidelibus libertati apertissime id derogare videtur, neque horum Regnorum conditio